

runtur, et cedunt praecedentia consequentibus, et cedendo conduntur, iterum cum voluero processura. Quod totum fit, cum aliquid narro memoriter. Ibi sunt omnia distincte generatimque servata, quae suo quaeque aditu ingesta sunt, sicut lux atque omnes colores formaeque corporum per oculos; per aures autem omnia genera sonorum, omnesque odores per aditum narium; omnesque saporos per oris aditum; a sensu autem totius corporis, quid durum, quid molle, quid calidum frigidumve, lene aut asperum, grave seu leve, sive extrinsecus sive intrinsecus corpori. Haec omnia recipit recolenda, cum opus est, et retractanda grandis memoriae recessus, et nescio qui secreti atque ineffabiles sinus ejus, quae omnia suis quaeque foribus intrant ad eam, et reponuntur in ea. Nec ipsa tamen intrant, sed rerum sensarum imagines illic praesto sunt cogitationi reminiscenti eas. Quae quomodo fabricatae sint, quis dicit, cum appareat, quibus sensibus raptae sint, interiusque reconditae? Nam et in tenebris atque in silentio dum habito, in memoria mea profero, si volo, colores, et discerno inter album et nigrum, et inter quos alios volo, nec incurrunt soni atque perturbant, quod per oculos haustum considero, cum et ipsi ibi sint, et quasi seorsum repositi lateant. Nam et ipsos posco, si placet, atque adsunt illico. Et quiescente lingua ac silente gutture, canto quantum volo, imaginesque illae colorum, quae nihilo minus ibi sunt, non se interponunt, neque interrumpunt, cum thesaurus alius retractatur, qui influxit ab auribus. Ita caetera, quae per sensus ceteros ingesta atque congesta sunt, recordor, prout libet: et auram liliorum discerno a violis, nihil olfaciens; et mel defruto, lene aspero, nihil tunc gustando, neque contrectando, sed reminiscendo antepono. Intus haec ago in aula ingenti memoriae meae. Ibi enim mihi coelum et terra et mare praesto sunt, cum omnibus, quae in eis sentire potui, praeter illa, quae oblitus sum. Ibi et ipse mihi occurro, meque recolo, quid, quando, et